
LITERAE

PASTORALES

AD CLERUM ET POPULUM

RECINATENSEM ET LAURETANUM



ROMAE 1831
Ex Typographia Bonarum Artium

IMPRIMATUR J. Fr. J. M. Velzi O. P. S. P. A. Mag.
IMPRIMATUR J. Della Porta Patr. Costantinop. Vicesg.

ALEXANDER EX COMITIBUS BERNETTI

PATRITIUS FIRMANUS

GREGORII XVI. SS. D. N.

PRAELATUS DOMESTICUS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS RECINATENSIS, ET LAURETANUS

Fratribus Venerabilibus, Filiis in Christo dilectissimis, Constitutis in Dignitatibus, Canonicis, Animarum Curatoribus,

CLERO UTRIQUE, POPULO UNIVERSO

DIAECESUM SUARUM

GRATIAM, PACEM, SALUTEM

A DEO PATRE, ET DOMINO JESU CHRISTO

ADPRECATUR SEMPITERNAM

Numinis clementissimi benignitate, qui ineffabili judicio et suaviter semper omnia disponens non vocat tantum, sed et quandoque in *Domum suam pauperes etiam, ac debiles, caecos, et claudos intrare compellit*, atque optimorum quorumdam Samuelium institutis imbuti, eorumque claris vestigiis, nescio quonam studio, et progressu, inhaerentes, adolescentes Nos adhuc, ne pueri dicamus, rationi ecclesiasticae addicti jam fueramus *in vinea, jam diei, et aestus pondera nonnulla portaveramus*, et vespere prodeunte illud unum censebamus optandum, ut demum in aliquam vitae requiem, supervacaneis omnibus negotiis abjectis, solumque Deum, animaeque salutem intuentes annos aeternos cogitaremus, et mandata servantes, propriorum, peculiorumque munerum enixius instantes implemento thesaurum

in coelis aliquem valeremus non deficientem thesaurizare. Nullius unquam amplioris cupidi dignitatis, nullum novum opus humeris nostris superimponi cupivimus (satis enim debilitatem nostram, viresque impares cuilibet novimus sustinendo) praeceteris vero maxime opus Episcopale non verentes solum, sed etiam reformidantes, quia non specie honoris, qua quidem hominum ambitio delectari posset, unquam fuimus illecti, sed pondus, et debitum qua Sancti Patres, et Doctores lancea ponderarunt perpendentes, ab eo semper fuimus perterriti. Noveramus insuper temporum, queis vivere datum est, iniquitatem, cui non dicamus profligandae, aut perdendae, sed solum retardandae, vel infrigendae vix tale genus Episcoporum par esse videretur, qui *facti forma gregis ex animo, fidei loricam induerent, pro thorace justitiam, qui brachio invicto, lingua, sicut gladius acutus, vita irreprehensibili, exemplis praeclarissimis, charitate non ficta, sine acceptatione ulla personarum*, spe nulla gloriae humanae, et fucosae, sobrii, sapientes, pudici Apostolorum virtutes praeseferrent, iisdemque praestarent. Adeo mentes hominum erroribus in dies obcaecatae, adeo mores corrupti in dies, perditique! Nobis autem quot, quantisque animi dotibus in domo Dei oporteat elucere cogitantibus, iisque optime instructum, ac locupletem Seniorem illum admirantibus, qui inter vos, Fratres venerabiles, Filiique dilectissimi, jamdiu constitutus, a justitiae semitis nunquam digressus, Deo acceptus, non aliter ac patriarchalium veterum familiarum princeps et habebatur, et erat, extemplo contigit, ut de ipsius morte si non intempestiva, nunquam certe lacrymis destituenda nuncio perinfausto haud prius delato fere simul nec expostulantes, nec opinantes a summo universae Ecclesiae Pontifice vocaremur tanto Viro succedere, *segregati in opus, ad quod assumpsit, dati Pastores in opus ministerii.*

Debilitatis nostrae conscientia convicti ad tam grave onus perferendum, quod etiam Angelicis humeris formidandum, non tacentes fuimus, sed animae, quanta est, tenuitatem confessi, ut infirmitatibus nostris compateretur, effusis praecibus exoravimus. *Sed quantus ego eram, ut Ei responderem, et loquerer cum Eo verbis meis? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit; quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex massa facere vas in honorem? quantus ego eram ut contradice-*

cerem sermonibus sancti? Illius, inquam, GREGORII DECIMI SEXTI qui *tamquam fluvius de loco voluptatis ad irrigandum egressus circumit omnem terram, laetificat Civitatem Dei; qui appellatus a Deo Pontifex, ut decebat, nostris hisce diebus, et ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in iis, quae sunt ad Deum, factus est omnibus causa salutis aeternae.* Illius inquam, qui non solum optimorum consiliorum verbis, queis quidem saepius animi solent irritari, sed melius suae invictae virtutis exemplis, demum aspectu ipso jucundissimo valet etiam infirmos confortare, quique potestate, qua est insignitus, prae omnibus humanis amplissima, ligat, et solvit, mittit, et revocat, sibique in ministerio Clavium coadjutores admittit, Sancto Spiritu dirigente, qui per Vicarium Christi ponit *Episcopos regere Ecclesiam Dei, et infirma Mundi eligit, ut confundat fortia, quique,* ut jubet sperare, *Nos etiam firmabit, solidabitque.* Ipsius, inquam, supremi Ecclesiae Pastoris jussu en Ego Pastor factus sum vester, et Pastor *quasi rationem pro animabus vestris redditurus*; Vos vero Fratres venerabiles, Filiique charissimi, Vos jam *oves meae* sed oves, *quae vocem audiant Pastoris*: En ego villicus vester, Vos *vinea mihi locata*, de cujus fructibus aliquando *Paterfamilias servum suum*, ut a me *accipiat, missurus est*: Ego haeres Dei voluntate vocatus, *vos haereditas mihi praeclara.*

Charitatis vinculo ad invicem igitur sociati ad invicem diligamus, sed dilectione, qua Christus diligit Ecclesiam suam. Nobis jam utraque ista Diaecesis ut sponsa data est, et Sponsa quidem *ornata viro suo;* et Nos vicissim *despondimus eam uni viro Virginem castam Christo exhibere non habentem maculam, neque rugam.* Operabimur, quantum in nobis, per gratiam Dei salutem vestram, et ratì Nobis opus non fore illud Apostoli sequi *peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant;* operabimur non in rigore, et severitate, sed in mansuetudine, et longanimitate, non minitantes, neque plectentes, sed exhortantes potius, et allicientes, *non enim dedit Nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis.* Infundat in Nobis Dominus, qui omnibus dat affluenter, cum unctione Spiritus Sancti, qua a capite ad barbam descendente in similitudinem Aaron facti sumus, infundat coelestium donorum charismata, quibus in sublimi consti-

tuti *bonum facientes non deficiamus*, et sciamus quid acceptum sit ab eo omni tempore. Vosque Fratres, et Filii dilectissimi operamini salutem vestram. Operamini praecipue *depositum Fidei servantes, omnesque devitantes profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae*, illam nempe inanem philosophiam, quae mundi est, harumque tenebrarum, quaque plus sapere quam sapere oporteat stulte simul ac impie non pauci cupientes, hominum mentes a necessaria dimovent subjectione, veritatem tenebris offundunt, implicant dubiis, dumque lumen quaerere, et scientiam gloriantur, penitus caecutire, ac demum etiam insanire videntur. Tales sunt, qui instituta praedicant quaedam doctrinae perversae, ob quam rerum novarum studium, effraenisque libertatis cupiditas incenditur, quidquid a majoribus nostris recte, sancteque inventum est, aut firmatum rejicitur, potestates omnes a Deo in terris constitutae contemnuntur, admodum verenda Religionis dogmata, et Ecclesiasticae disciplinae Canones blasphemantur.

Effugite, praecor, effugite *magistros hujusmodi auribus prurientes, qui conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi, quique evangelizant praeter id, quod acceptum est.* Fidei depositum, qua una salutem vestram operari potestis, custodite. *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Atque hujus confidentiae quidem, qua noster animus ita erigitur, et exultat, rationes breviter exponemus. Novimus Vos ad salutis pascua per vocem Pastorum, qui sancte Nos praecesserunt, adductos, et quorum curis, et studio nec per nuperrimas quidem calamitates, Ecclesiis ferme omnibus viduatis, caruistis, nunquam ab eis recessisse. Novimus vos verbi Dei manna eorum manibus nutritos, atque aquae saluberrimae hausibus recreatos nunquam Aegypti cibos contaminatos, foetidosque puteos inhiasse. Novimus virtutem vestram, probitatem, docilitatem, et in Antistites, qui vobis adhuc praepositi sunt, singularem quamdam pietatem, et observantiam. Novimus haec, et confidimus. Sed quod Nos non confidentiae solum, sed et certitudinis etiam sensu quodam obfirmat circa fidem, et probitatem vestram, illud est, Fratres venerabiles, et Filii desideratissimi, quod dum ad Episcopale opus inter vos adhibendum designamur, et mittimur, iis Christifidelibus prae-

fici gaudeamus, qui mira supremi Numinis bonitate populum electum, gentem sanctam novi foederis efformare, et constituere debere videmini.

Si enim in veteri testamento Hebraeorum genus divinis omnibus muneribus cumulatum, illud praecipue aeternae praedilectionis signum inter gentes obtinuit, ut Dei Arcam et teneret, et coleret, quid non erit de vobis, Lauretani, et Recinatenses, dicendum, quibus non ex gentibus tantum, sed ex ipso populo Christiano praedestinatis, novi foederis Arca, veterique longe praestantior, et insignor commissa est, et donata? Vos namque Arcae illi ministratis, *quae super omnia Tabernacula Jacob excelsior est*, et fortior ipsa Davidica Turri, quae *contra Damascum respiciens* ab omnium hostium incursione Jerusalem liberabat. Penes vos est Domus illa, *cujus fundamenta in montibus Sanctis, de qua tam gloriosa dicta sunt*, non a conterraneis solum, et finitimis, sed alienigenis quoque, et longinquis. Universi siquidem quotquot innumeri sunt in Christo credentes per omnes terrae plagas disjecti Lauretanam aediculam invisentes, Mariae Domum ipsam gaudent intueri, atque pio cordis affectu conclamant -*Et Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* -; Eam, quam praetiosis lapidibus murisque excelsis, omnique religiosa, sacra munificentia circumdederunt, praeclaris, ditissimisque muneribus a saeculo decimoquarto usque ad hanc diem Pontifices, et Reges, Cardinales, et Duces non ex Italia solum, sed et ex longinquioribus regionibus cumularunt; Eam, quam privilegiis singularibus, peculiaribus indulgentiis, honoribusque praeclarissimis Romanae, et Apostolicae Sedis Supremi Moderatores ditavere, quique Eam verbis celebrantes amplissimis omnes Christifideles advocarunt, ut Lauretum convenirent ad Dei Matrem honorandam in ejus terrestri eadem Domo, quae Nazareth fuit, in qua et Angelicae salutationis vox intonuit, -*et Verbum Caro factum est.*- O vere igitur beata gens, quae tantam, ac talem habuisti divinae gratiae largitatem! O ineffabilis super te coelestium donorum effusio! Sed quorsum haec refero, quorsum? Nisi ut intelligatis Fratres, ac Filii dilectissimi, arctioribus Nos prae coeteris obligationibus in Auctorem tanti numinis devinciri. Fieri ne posset, ut minimo licet temporis momento divinorum memoria meritorum unquam vos non teneret? Quanam ingrati animi nota non essetis condigni, si et Fidei constantia, et mo-

rum sanctitate gentibus omnibus non praestaretis? Omnibus enim indictum est - *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* - Vobis autem peculiari quadam ratione esse praeceptum videtur, qui in omnium gentium ad vos undequaque confluentium luce, et aspectu collocati omnium exemplar, et lumen esse debetis. Quid turpius de vobis dici posset, quam si advenae, et peregrini ad vos pervenientes, domus introeuntes, actiones vestras introspicientes, non exempla, ac incitamenta virtutis, sed vitiorum scandala reportarent? Contra vero quid utilius, et honestius, quam si discessuris in patrias suas possetis sancta cordis gloria jactare - *renuntiate, quae audistis, et vidistis*? Confidimus igitur et recte laetamur confidere, dilectissimi, multum de vobis.

Quamvis autem haec ita se habeant, sinite, quaeso, ut quaedam cuique vestrorum ordini, aut conditioni propria commemoremus, non ut de vobis omnibus hactenus tam recte Nobis sperantibus, et scientibus contradicamus, sed potius ut *obsecrando saltem in omni patientia*, *non importune arguendo*, vel *increpando ministerium nostrum impleamus.*

Ac primum quidem ad Vos, utriusque Ecclesiae Nostrae Dignitates, atque Canonici, duplicem Nobis Senatum amplissimum constituentes sermonem Nostrum jucundissime convertemus. *Multa Nobis fiducia est apud Vos, multa nobis gloriatio pro Vobis.* Pergite, quaesumus, in studium, quod suscepistis. In candelabro Ecclesiae positi pietatis, et doctrinae luce, Domus Dei zelo, virtutum omnium splendore magis magisque in dies collucere satagite, ut de Vobis dici jure adhuc possit „ *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die, ac nocte laudabunt nomen Domini* „ Attamen non solum *hostiam Deo placentem* offerendo, divinasque laudes persolvendo, sed et Nobis consiliis sapientiae vestrae coadjuvando, imperitos erudiendo, Evangelium Dei praedicando, vocationem vestram implere non desinatis. Agnoscite dignitatem, qua estis insigniti. A Presbyteris caeteris distincti omnes alios ecclesiasticorum munerum implemento praeeatis. Discant a vobis omnes mores suos Evangelicae rationi componere, et verbis vestris tamquam *sapientium sale* ita quodammodo condiantur, ut *qui est ex adverso, nihil habeat dicere de vobis.*

Vosque, Parochi venerabiles, qui Agricolae estis, in vineam Nobis creditam conducti, ne labore defatigemini, sed a prima mane usque ad vesperas in opere perseverantes eam custodite, expurgate. Cuilibet vestrum, ut Ezechieli Prophetae dictum est „ *speculatorem ego dedi te domui Israel* „. Inspicite igitur, ne vulpes irruant dolosae, ne vepres errorum succrescant, ne lambruscae vitiorum gignantur. Eorum semina, si quae sunt, suffocate, lolia, si quaenam miserint, extirpate. Dominici ovilis pars est curis vestris concredita. Nutrite igitur frequenti Sacramentorum administratione, verborum pabulo pascite. Oves vestras curate, non sicut vestras, sed sicut Christi. Rapite omnes ad *amorem Dei* juxta monitum Christi, *rapite quot potestis hortando, rogando, rationem reddendo cum mansuetudine, et lenitate.*

Neque Parochos tantummodo haec spectant, sed et alios Presbyteros. Ipsi enim quoque in Evangelii dispensatione positi, ipsi quoque in vineam advocati, ipsi quoque in Ecclesiae servitium cooptati. Nunquam obliviscantur ministerii, cui sunt adscripti. Studeant talenti, quod acceperunt, negotiationi, ne ordinis gratiam in vacuum recipientes servo illi comparentur, qui Domini sui paecuniam cum abscondisset, omni mercede privatus missus fuit in tenebras exteriores. Omnes igitur obsecramus, ut pietatem, et doctrinam augeatis in dies, ut in dies exemplo fulgeatis virtutum optimarum, ut in dies fratres vestros erudire, corrigere, confortare conemini.

Quotquot estis vero Clerici nondum sacris initiati, sed operarios electae vineae adjuvantes, atque inter hos praesertim in Recinatensi nostro Seminario ad umbram Tabernaculi adolescentes, vos alloquentes monemus cum Apostolo „ *ipsi vos probate, et digne ambulate vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate, mansuetudine*, et obedientia. Quod quidem optime assequemini, si et timorem Domini sedulo custodiatis, et in earum scientiarum studium, quae maxime statum decent clericalem, enixa opera incumbatis. Quas quidem virtutes in vobis ita simul florere necesse est, ut earum altera deficiente, *hominem claudum* ad offerendum accedere dici possit. Ordinem praeterea, ac disciplinam servate: *bonum* siquidem *viro est*

cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Adolescens juxta viam tuam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Neque hic vos severioris christiani instituti Sectatores, qui fluxas mundi fortunas, et saeculi vanitates juxta Evangelii consilia contemnentes in sacris coenobiis legem Domini die, ac nocte meditamini, ac laudem decoram Domini dicitis, taciti praeteribimus. Vos memores propositorum vestrorum, et votum, quod vovistis, reddentes, Ecclesiam Dei circumdatis multiplici ordinum varietate. Vestrum est praecipue orare Deum, ut iram suam a Nobis avertat, et super Nos misericordia ejus descendat, et corporis mortificatione, modestia, et humilitate omnes, qui in mundo sunt, aedificare ,, *Agite*, dicam cum Bernardo, *agite ergo dilectissimi, et in his, quae coepistis, solliciti estote perseverare, et abundare magis, ut augeantur in dies incrementa justitiae vestrae* ,,. At vos insuper exoramus, ut ministerio praedicationis verbi Dei, imperitorum instructione, Sacramentorum adminastratione fideles populos adjuvando, pastoralis oneris Nos levare parte aliqua non cessetis; ut propterea laetari possimus et insignes Canonicos, et animarum Curatores, Clericos ipsos, Vos demum, viri religiosissimi, una omnes locum Nostrum supplere, per abundantiam vestram inopiae Nostrae succurri, et fieri aequalitatem.

Jam vero ad vestras aures vox nostra perveniat, Virgines Deo oblatae, ad vos inquam, quae mundi illecebris nullo pacto implicatae, nullo saeculari negotio distractae, in hortum conclusum segregatae coelestem potius, quam humanam ducitis vitam. Custodite, quaesumus, mundo frigescente, ignem illum, quam Dei Filius venit mittere in terram. Ipsi in perpetuum ultro dicatae Illi soli placere studeatis. *Nolite respicere retro*, quia vana sunt, et mortifera quae vos deseruistis. Ipsum imitantes, qui usque ad mortem obediens factus est, obedientiam praecipue colite, atque servate, et mente, ac corpore sanctae, novibusque in dies virtutum monilibus exornatae, Sponsum, quem Vos elegistis, quique Sibi Vos desponsavit, vigilantes expectate, imo Ipsi advenienti accensis lampadibus obviam occurrite.

Vos tandem, Magistratus conspicui, amplissimi Decuriones, Optimates, Patricii, Civium ordines universi Nostra extrema verba compellant.

Elucescat, filii dilectissimi, sicut hactenus eluxit, Religio vestra, pietas in Deum, charitas in fratres. Numquam Vos extollat ambitio, aut cupiditas excitet; numquam humanis respectibus subjiciamini, ut ab Evangelio, et lege Christi etiam in minimis deflectatis. Si enim genus humanum, et mortales oculos decipere quidem datum esset, numquam aeterni Judicis sententiam effugeretis, illius nempe Judicis, qui etiam justitias judicabit.

Nescio quo pacto, ajebat Sanctus Bernardus, *virtus in nobili plus placet, an forte quia plus claret?* Ideo profecto. Inferiorum ordinum Cives mores suos ad vestra facta, Nobiles, et Patricii viri, comuni quodam imitationis, et aemulationis studio accomodare nituntur. Vestra opera igitur, opera non sunt vestra tantum, sed et aliorum; quemadmodum enim si lota sunt, plurimum juvant, sic si forte mala, et perversa, multorum animas perdunt, ut populi salus, atque tranquillitas ab ipsis in primis pendere videatur. Contendite igitur, sicut facitis, non tam generis insignibus, atque nobilitate, sed Religionis studio caeteris antecellere, et majorum vestrorum non nomina tantum, sed et praeclara facta in vobis referre, rati juxta mentem Augustini, quod *nullae sunt majores divitiae, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est Fides Catholica.*

Divitiarum possessores illud prae omnibus timeant, ne *cum plus aliis in hoc mundo acceperint, ab Auctore Mundi gravius inde judicentur.* Iis itaque, quae possident, ad egenorum inopiam sublevandam, ad viduarum, et pupillorum jura sustinenda maxime utantur, ut vitam aeternam, spiritualis centupli proemium, et animae jucunditatem obtineant in praesenti. *Splendidum* siquidem *in panibus benedicent labia multorum.*

Omnes vero, et singuli tandem cujuscumque ordinis, et conditionis, quos omnes in corde gerimus, gratiam Spiritus Sancti, quam per Baptismum acceperunt, vacuam non reddant, bonorum operum fructus properent, sobrie, juxte, et pie vivant: omnes sicut decet mystici Christi corporis membra, charitatis vinculo conjuncti, sic in mandatorum observantia perseverent, ut gratiam in tempore, et coelestem gloriam in immortalitate consequantur.

Laetamur vero in Domino maxime, Fratres venerabiles, ac Filii dilectissimi, de vobis omnibus. Quot enim et Sacerdotes probatissimi, et anima-

rum impigri Curatores, et Viri religiosi, et Virgines sacrae, suscepte vitae instituta Observantes, et Magistratus in justitia ambulantes, et Optimates, et Patricii ad exemplum praeclari, et ex Populo universo pietate insignes, et religione! Laetamur, et Deum toto animo obsecramus, ut vineam istam electam de Coelo respiciat, et visitet, et perficiat. Nunquam ipsius maceriae destruantur, ne eam forte qui per viam praetergrediuntur, vindemient, vel aper ferus depascatur. Fiant manus ejus extensae super eam, et super Nos, quos ipsi posuit custodes. *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Agite igitur universi, et in unum congregati orationi sine intermissione instantes pro salute, et perseverantia vestra auctorem bonorum omnium deprecamini „ *orate pro invicem ut salvemini* „. Orate et pro omnibus in Ecclesia Dei sublimitatibus constitutis, atque in his praecipue pro Sanctissimo Domino Nostro GREGORIO DECIMO SEXTO, ut Ipsum fidei vindicem, pietatis adsertorem, Principem indulgentissimum, Catholici nominis propugnatorem, Ecclesiae universae solatio, gentium subditarum felicitati diu incolumem Dominus conservet, et inimici ejus dissipentur.

Orate et pro Nobis, Fratres, et Filii dilectissimi, ut apud Vos quanta opus est sedulitate, et charitate pastorali munere fungamur, dum interim hic et nos memoriam vestri facimus, ut vos non deserat Deus, et benedictionibus coelestibus cumulati in gratia sua, et Domini Nostri Jesu Christi manentes sitis perfecti, pacem habeatis, et Deus pacis, et dilectionis sit Vobiscum. Amen.

Datum Romae extra Portam Flaminiam die Consecrationis Nostrae Kalendis Novembris anno MDCCCXXXI.